




V
B J
C
6280 II
HISTORIA



SOCIETATIS IESV
NOVVM FIDEI SYMBOLVM

In Hispania promulgatum:

Eiusdem

Notio Censoria in Symbolum Apostolorum.

Habac. I.

Adspicite in gentibus, & videte, & admiramini, & obstupescite: quia opus factum est in diebus vestris, quod nemo credet, cùm narrabitur.



M. DC. XXXVI.



IESVITICVM FIDEI SYMBOLVM velut Canticum novum

Ex Ioh. Baptistæ Pozæ libris conflatum, vnaq; cum documentis necessariis ab Hispanicarum Academiarum Procuratore S. Inquisitionis Consilio Madriti exhibitum, & ad Sacrosanctum Romanæ Inquisitionis Tribunal deportatum à Francisco Roales Theologo Salmaticensi & Catholici Hispaniarum Regis Sacellano.

I. CREDO in duos Deos, quorum vnus filij pater & mater est metaphorice in generatione æterna: alter metaphorice mater & pater est in generatione temporali: cui consequens est, vt tam Deo patri, quam B. Virgini nomen Matri pater conueniat, tamquam vterq; Hermaphroditus esset, vel Androgynus.

II. Credo in Iesum Christum, vnicum vtriusq; filium metaphoricum secundum æternam & temporalem generationem.

III. Credo Iesum Christum, vt hominem fuisse conceptum & natum de Maria Virgine, tanquam patre & matre metaphorice per virtutem paternam & maternam.

IV. Cre-

IV. Credo eundem paſſum & mortuum non vere & realiter, eo quod mori non potuit.

V. Credo eundem fuiſſe ſepultum, etſi vere & realiter non mortuum.

VI. Credo animam eius deſcendiſſe ad inferos metaphoricè, cum à corpore non fuerit ſeparata.

VII. Credo eadem metaphora eum à mortuis reſurrexiſſe, qua fuit mortuus.

VIII. Credo eum adſcendiſſe in cœlos, ſedere ad dextram patris, & venturum, vt iudicet alios viuentes, alios etiamnum mortuos.

IX. Credo in Spiritum Sanctum, qui locutus eſt per Prophetas nonnumquam deceptos.

X. Credo Eccleſiam ex maiori parte Sanctam, & Sanctorum Communionem.

XI. Credo remiſſionem peccatorum per repentinum Spiritus Sancti adventum ſuper impios.

XII. Credo reſurrectionem carnis ex maiore eius parte, & vitam æternam non ſine aliqua oppoſiti formidine.

HABET *hic Lector ſpecimen nouæ Ieſuitarum doctrinæ, qua illi Hiſpaniam imbuerunt, & magnam partem à doctrina, quam Eccleſia Romana didicit, alienarunt, vt iam Hiſpaniæ eadem de Religione diſſidia & bella ciuilia metuẽda ſint, quæ Germaniam, Galliam, Belgium, Angliam, aliasq́ Europæ regiones tam miſerè vaſtârunt, niſi tamen Hiſpani alienis malis doctiores facti ad ſaniora conſilia receptum habent, & Spiritus Sancti monita exſequuntur.* Prover. 26. *Cum defecerint ligna, exſtinguetur ignis: & ſuſurrone detracto, iurgia conquieſcunt.* Proverb. 22. *Eiice deriſorem, & exibit cum eo iurgium, ceſſabuntq́ cauſæ & contumeliæ.*

IMPIA, SCELERATA ET HORrenda Anglicorum & Hispanicorum Jesuitarum Censura in Symbolum Apostolorum, ad explodendam non modo Parisiensium Theologorum, sed & Sedis Apostolicæ Censuram, typis publicata.

Ex admonitione Iesuitarum ad Lectorem.

MErito ac prudenter timuimus, ne Theologi Parisienses homines versipelles ac subdoli ipsum fidei Christianæ Symbolum pari licentia & temeritate (ac nostros duos libros) profanent. Quorum conatus sacrilegos vt pro ea, qua pollemus auctoritate præueniamus, è re Catholica futurum arbitramur, idem Symbolum nostra Censura castigatum Catholicis omnibus proponere, ne quid in eo deinceps supersit, quod incautis Lectoribus offendiculum obiiciat.

Credo in Deum Patrem Omnipotentem, Creatorem cæli & terræ.

PRimus iste Articulus si intelligatur, quasi solus Pater sit Deus, & omnipotens, & creator, filius autem & Spiritus sanctus solum creaturæ sint: propositio est impia, blasphema, indiuiduæ Trinitatis destructiua, & pridem in sacro & Oecumenico Concilio 318. Episcoporum aduersus Arij impietatem damnata. Quatenus autem soli Patri creationem attribuit, noua est, temeraria, erronea, contra communem Ecclesiæ Patrum ac Theologorum omnium sensum prolata, cum hactenus receptum sit tamquam inuiolabile decretum omnes Trinitatis actiones ad extra esse indiuisibiliter toti Trinitati communes.

Et in Iesum Christum, filium eius vnicum, Dominum nostrum.

TOta hæc propositio captiosa est & fallax, in quantum omittit Iesum Christum filium esse naturalem & consubstantialem Patri. Sic enim periculosa est & doctrinam inducit hæreticam sæpius ab Ecclesia in Conciliis Nizæno, Ephesino & Francofurdiensi præsente Carolo Magno damnatam. 2. ratione particulæ vnicum, omissa præsertim Consubstantialis aut Naturalis. Sic enim quatenus propositio etiam exten-

extenditur ad filios adoptiuos, de quibus ipse Dominus Psalm 81. ait: Ego dixi, Dii estis, & filii excelsi omnes. Et Apostolus Rom. 8. Quicunque Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei. Si autem filii & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. falsa est, piarum aurium offensiua, & iustis omnibus & sanctis iniuriosa. 3. Quatenus esse Dominum, quod indiuisa proprietate tribus diuinis personis æqualiter conuenit, soli filio attribuit, oblique insinuans, vnicam esse diuinam personam, quæ modo Patris, modo Filii, modo Spiritus Sancti appellatione significatur, hoc iam pridem aduersus Sabellium vniuersa Ecclesia tamquam impium atque hæreticum damnauit.

Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine.

TOta hæc propositio æquiuocatione laborat, quæ inducere potest in hæresin propter ambiguas particulas De, & Ex: & quia ordinarie de habitudine importat principii componentis, iuxta quam innuitur Dominum nostrum de substantia Spiritus sancti factum esse, & ita Spiritum sanctum verè dici posse Patrem Christi. Ideo propositio in hoc sensu falsa est, dolosa, hæretica, & diuinarum originum confusionem atq; euersionem inducens. Similiter quoniam tam particula De, quam particula Ex consueto more loquendi habitudinem prioris & posterioris includit, & eatenus insinuare videtur, Christum posteriorem Spiritu sancto, & ante Mariam non fuisse, quod pridem aduersus Nestorium tamquam falsum & hæreticum damnatum est: ideo propositio hoc sensu intellecta hæretica est. Denique si ita Christus dicitur natus ex Maria Virgine, vt quicquid in Christo est, ex ea natum statuatur, quasi Virgo etiam dici possit Mater diuinitatis, in hoc sensu propositio falsa atq; hæretica est, & in consequentia valde periculosa.

Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & sepultus.

HÆc propositio ambigua est, & aliquo sensu hæretica: nam cum propriè in cæteris rebus ita actiones & passiones sunt suppositorum, vt etiam naturæ eius propria & hypostasis attribuantur, & ob hãc causam mortua vel abscissa manu non rectè propterea homo mortuus dicatur, nisi ipsa natura humana dissoluatur, ideo periculosa est propositio, & iuxta obuium illic sensum intellecta, quasi diuinitas aliquid passa, vel mortua fuerit, non solum hæretica est, sed etiam impia & blasphema.

Descendit ad inferos: tertia die resurrexit à mortuis.

IN hac propositione quatenus verbum Descendit, relatum ad personam Christi, insinuare videtur, ipsam quoque diuinitatem ad inferos

descendisse, cum tamen diuinitas propter immēsitatem vbiq; existens moueri non possit à loco in locum, ac proinde non adscendere in cœlum nec ad inferos descendere, ideo periculosa est & inducere potest in errorem. Intellecta verò de anima Christi, si sensus sit animam Christi ad pœnas inferni descendisse, & eas re ipsa sustinuisse, propositio est hæretica, scandalosa, piarum aurium offensiua, & ex Caluini doctrina lib. 2. cap. 16.

Adscendit ad cœlos, sedet ad dextram Dei Patris omnipotentis.

ISta quoque propositio intellecta de adscensione Christi in cœlum secundum diuinitatem, perinde vt superior, falsa & erronea est. Quatenus autem affirmat, Christum sedere indefinite, ac proinde etiā vniuersaliter id pro omni tempore statuere videtur, ideo si ita intelligatur, Christum semper sedere, vt neque stet vnquam neque etiam de loco in locum moueatur, cum & stet, & Sanctus Stephanus stantem eum in cœlo viderit, & Ioannes Apoc. 14. De Virginibus dicat, eas Agnum perpetuo sequi quocumque ipse ierit, propositio sic intellecta temeraria est, & expresso Dei verbo contraria. Denique in quantum hæc eadem propositio Deo patri dextram attribuit, Anthropomorphitarum hæresin redolet, & in eum errorem inducit.

Inde venturus est iudicare viuos & mortuos.

ISsta propositio quatenus ita asserit Christum ita iudicaturum esse viuos & mortuos, vt negare videatur, Patrem & Spiritum Sanctum iudicaturos, cum hæc actio suprema atque adeo diuinæ authoritatis sit, eaque externa, ac proinde toti Trinitati communis; ideoque propositio hac ratione ad solam personam Christi, multoque magis ad solam eius naturam humanam limitata, falsa, temeraria & erronea est. Quatenus autem eadem quoque propositio asserit, Christum iudicaturum esse non modo mortuos, sed etiam viuos, ambigua est & fallax. Vnde si sensus est, quosdam homines non esse morituros, non prius vita defunctos ad iudicium esse perducendos, propositio noua est, temeraria, falsa & erronea, nec non Verbo Dei & communi Patrum totiúsq; Ecclesiæ sensui contraria.

Credo in Spiritum Sanctum.

HÆc propositio maligne proposita est & ex affectata breuitate merito suspecta haberi potest. Subdole enim Spiritus Sancti diuinitatem, eiusq; à patre & filio processionem tacet. Proinde Arianam hæresin redolet, schismati Græcorum obliq; fauet, indiuiduamq; Trinitatem dissoluit.

Itemque

Itemque tota explicatio diuinæ atque indiuiduæ Trinitatis, octo istis articulis comprehensa, manca & periculosa est, auertitque fidelem populum à cultu & reuerentia tribus diuinis personis indiuise atq; inseparabiliter debita, & sub prætextu breuitatis & non necessariæ explicationis subdole totum Trinitatis mysterium euertit, cum tamen perfecta eius & explicata fides medium sit ad salutem necessarium. Vixque tota hæc doctrina excusari potest à dolo, quod nullam de Filii aut Spiritus Sancti diuinitate, aut etiam æternitate mentionem faciat, sed contrarium de Filio in articulo tertio insinuet.

Sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum Communionem.

PRopositio hæc multiplici periculosa æquiuocatione & affectata obscuritate errorem tegit. Inprimis enim ambiguum & obscurum est, quid sit credere Sanctam Ecclesiam Catholicam. Et si sensus est adhibendam esse fidem definitionibus Ecclesiæ cum exclusione definitionum, quæ fieri possent à solo eius capite, quasi Papa extra Cōcilium nihil definire possit, quod sit de fide: propositio est temeraria, scādalosa & summo Pontifici vehementer iniuriosa. Deinde dubium est, quo sensu Ecclesiam dicat esse Sanctam. Et si sensus sit solos Sanctos, & non multos malos contineri, propositio falsa, & hæretica, & Verbo Dei communique Patrum sensui contraria est. Eodemq; modo reiiciendum est, quod de Sanctorum communione adiungitur, si inter solos Sanctos bonorū spiritualium communio admittatur, cum fide certum sit, omnes qui in Ecclesia sunt, tam bonos quam malos, in bonorum spiritualium saltem aliquorum participatione vniri. At si per Communionem Sanctorum non tantum bonorum, spiritualium saltem, sed quorumcumq; etiam aliorum Communio intelligeretur, propositio esset absurda, à fide & recta ratione aliena, & Anabaptistarum confusionem induceret.

Remissionem peccatorum.

ISta quoque propositio sub his generalibus terminis concepta, vel falsa, vel periculosa est. Intellecta enim de perfecta & absoluta peccatorum omnium, etiam eorum, quæ quotidie committimus, remissione iam à Christo facta, & nobis semel in Baptismo applicata: hoc sensu hæretica est, & Sacramenti Pœnitentiæ destructiua.

Carnis Resurrectionem.

SI intelligatur de Resurrectione, quasi iā facta & amplius nō sit futura, ꝓpositio hæretica est, iam olim ab Hymenœo & Phileto asserta, & ab ipso Apost. 2. Tim. 2. dānata. Intellecta v. de resurrect. futura, sed

de car-

de carne animali, hoc eſt, quæ iiſdem animalibus deſideriis, operationibus ac neceſſitatibus ſubiecta ſit: propoſitio falſa atque erronea eſt, & Mahometis impietatem ſapit contra expreſſam verbi diuini auctoritatem. 1. Corinth. 15.

Vitam æternam.

HÆc propoſitio quatenus indefinite proponitur, atque ita vniuerſaliter extenditur ad omnes, excludendo mortem æternam, qua iniuſti punientur, falſa, ſcandaloſa & hæretica eſt, ianuamque vitiis omnibus aperit, & Atheiſtarum huius temporis impietatem atque inſaniam ſapit.]

Adhuc Notio Cenſoria Jeſuitarum.

HEM, iſta eſt prudentia & iuſtitia, qua ſe Ieſuitæ venditant, vt qui ſuas nouitates Romanis & Pariſienſibus Cenſoribus probare non poſſunt, merito & prudenter in eo facere ſe iactitent, quod ipſa Spiritus ſancti verba, nunquam niſi cum veneratione & horrore quodam tractanda, ad incudem vocant, & ingeniorum ſuorum laſciuiæ ac petulantię ſubiiciunt, vereque obſcœnarum Harpyiarum inſtar contactu immundo fœdare non dubitant. Sed hac de re plura Lector inueniet in Alphonſi de Vargas Relatione de Strategematis & Sophiſmatis Societatis IESV.



